43

Sigismundus primus rex Poloniae, Stanislao episcopo Olomucensi.

Reverende in Christo pater sincere nobis dilecte. Nicolaus Grosch civis Cracoviensis et subditus noster cum ante aliquod tempus in Italiam proficiscens, in villa quadam reverendi patris abbatis Ragadiensis dioecesani paternitatis vestrae hospitatus esset, aureos centum imprudens et fugam meditans, propter Turcas qui tum ad oppugnandam Viennam veniebant, amisit, quos non multo ante subditus quidam eiusdem abbatis Ragadiensis moriens, se reperisse fassus est, et restitui commisit. Ad quos repetendos cum illuc praedictus subditus noster filium suum mittat; postulamus à paternitate vestra, ut dioecesano suo abbati mandet, quo hanc pecuniam subditi nostri citra moram et expectationem restituat, nam dicitur quod ad manus eius pervenerit. Factura paternitas vestra rem nobis gratam, et ab officio aequitateque sua non alienam, quae bene valeat et sit felix semper. Datum Cracoviae die ultima Februarij anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo secundo.